



**Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Gvilielmo Longano Senatori Burdigalensi. XXXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

132 IVLII CÆSAR. SCAL.

agas , sicuti agebas cum eam magna omnium opinione atque expectatione comparares, neque minus in retinenda conseruandaque operæ ponas, quam in constituenda augendaque posuisti.

GVILIELMO LONGANO

*Senatori Burdigalensi.*

xxxii.

ET SI NEQUE OFFICIIS , NEQUE VITÆ CULTU  
NEQUE NOMINIS SPLENDORE NOTUS ERAM TIBI; TAMEN CUM CIUILEM ISTAM TUAM SAPIENTIAM CUM HUMANITATE CONIUNCTAM INTELLIGEREM, NIHIL DETERIUS ABS TE ACCEPTUM IN ME ORANTEM SPERAUI, QUAM II, QUIBUS TU VITRO DARE MULTA MAXIMAQUE BENEFICIA CONSUESISSE. NEQUE ENIM MINUS EST VELLE, QUAM POSSE, NEQUE MAGNIFICENTIUS EST QUIDQUAM ANIMI DEXTERITATE ATQUE FACILITATE. POTENTIA ENIM MATERIAM QUANDAM SAPIT, NEQUE PERPETUA EST, & FORTUNÆ ADMINISTRA: VOLUNTAS, DIUINI & TERNIQUE ILLIUS HALITUS FOTU INCREMENTA CAPIT, ATQUE CONSTITUITUR. QUAM DIUINITATEM CUM PERPETUA BENIGNITATE EXERCERE SOLITUS FIS, EGO QUOQUE MEIPSUM TANTI THESAURI IN PARTEM QUIN VOCAREM MINIME DUBITAUI, VT QUAM MAXIME ABSIM A MERITIS, TAM PROXIME SIM LIBERALITATEM TUAM.

Ma-

Magnam quidem rem peto, ac permagnam  
quidem. quid enim de te plebeium peterem?  
Meam, inquam, dignitatem, quae indignis  
modis a pessimo parricida lacerata est. nam  
in hac vrbe, ut quisque perditissimus est,  
ita ei pessima facinora tutissimo audere li-  
cet. Peto vniuersae vrbis huius voluntatem.  
peto vitæ nostræ securitatem. Nostin quan-  
to periculo, quanta medicorum infamia, ca-  
pita nostra committantur perfidiæ pharma-  
copolarum, quorum flagitia tanta tamque  
crebra sunt, ut eorum vitiositas iam in pro-  
uerbium abierit. Ex iis unus omnium frau-  
dulentissimus cum multis imposturis meri-  
tus esset, ut publico decreto censura nostra  
emendaretur, appellauit ad vos. qui si  
apud Senatum vestrum obtinet, ut per vos  
non corrigatur, quid aliud est, quam insidia-  
torem sicarium accipere de manibus vestris  
sanctissimis venena, quibus vitæ nostræ ap-  
petantur? Vos vero, teque imprimis, qui col-  
legas tuos æquas, cæteros mortales anteis  
sapientia, obsecramus vniuersa hæc ciuitas,  
ut de amentissimo impostore statuatis ea,  
quæ illius temeritatis popularibus perpetuo  
sint exemplo.

I 3

IVLIVS